

Praeterea quod ipsis objiciant Domini Officiales, quod illi sint Rebelles, ea proinde etiam occasione dictam suae Majestatis decisionem extradari omnes expetebant.

Ad punctum secundum, cur videlicet in Arcem non advenerint? responderunt, quod tempore hujusmodi Insinuationis ex ipsis ligati quidam, ac verbaverati fuerint; unde reliqui exemplo eorundem deterriti sunt; sed quod etiam secundum factum Domino Judlum Kesser ad Capelam S. Georgii promissum nomine suo, medio Nicolai Vlahovich Dominis Officialibus nunciaverint, quod si tota Communitas, aut pro parte ejusdem 10 aut 15 in Arcem admittantur, comparere velint, verum idem Vlahovich Arcem ingredi a vigile permissus non fuerit. Caeterum Jure jurando omnes asseverabant, nunquam tumultuandi animo conventicula fuisse per eos habita.

Quo examine praesenti Deputationi relato existente, nonnulli ex ipsis reexaminati fuere, ac inter reliquos mox fatus Vlahovich, qui coram Domino Vice-Comite fassus fuerat, se missum ad arcem ivisse, coram Deputatione se citatum eo perexisse, dixit, demum tamen erga ulteriorem interrogationem clarificavit, semet quidem per officiales in merito certae quaerimoniae citatum, sed et eadem occasione a Communitate ad Arcem exmissum quoque fuisse.

His actis, e Comunitate eorundem quidam in praesentiam deputationis constituti fuerant, iisdemque super Comissionis decisionibus Suae Majestatis resolutionem ex proxima Regni Congregatione extradandam, ac eandem in facie Dominii praesentibus officialibus per unum Judicem Nobilium ipsis perlegendam fore, declaratum erat; idcirco, ut semet in pace contineant, et deinceps abstineant a conventiculis iis, severe impositum exstiterat. Pagis autem Colonialibus Strusecz, Podborje, Raichevec, Kis et Ludinje, Habraneczianae, quod ultro in statu Coloniali reliquantur, dictum fuit.

Tandem sub decursu modernae Regni Congregationis transmissa suae Majestatis Sacratissimae eosdem Montis Claudii incolas concernens benigna regulatio, per Joannem Kesser, Incl. Comitatus Crisiensis Judlum, ex latino in Illiricum idioma interpretata, subscripta, ac in praesentia Spectabilis Domini Adami Najsich, eorum Magistri Prothonotarii, jam vero Vice-Bani, juxta Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Dispositionem, iisdem oblata fuerat. Eodem vero Judice referente, quod dicti Incolae in acceptatione dictae regulationis semet renitentes remonstraverint, Illustrissimus Dominus Comes locumtenens habita reflexione illa, quod praesentes eorum Incolae suapte et non positive a Communitatibus emissi comparuerint, semet in publico Regni consessu declaravit, quod a singulo ejusdem Montis Claudii Pago Knezios et Spanos pro levanda toties fata regulatione in conspectum praesentis Deputationis citaturus sit: qui taliter citati, postquam non uti demandatum fuerat, verum denuo numero copioso, inter quos etiam aliqui Knezii et Spani erant, comparuissent, ex illis Knezii, Spani, imo ex aliis incolis Moslaviensibus quidam in faciem Deputationis fuere vocati, iisdemque praefacta benigna suae Majestatis Sacratissimae regulatio identidem in Illirico idiomatico explanata, proque nolitia Obligationum, futuraque Directione etiam oblata exstiterat; ast illi reponentes, quod regulationis Regiae notitiam jam praevie habeant, sed nec alioquin legere scirent, dictam regulationem neutiquam acceptarunt.

Quod ipsum Domini Status et Ordines ex praevia ore tenus facta Illustrissimi Domini Praesidis relatione intelligentes, suae Majestati repreaesentarunt. Su-